

coquitur ferrum. Magnes quoque, Heraclius vel Herculeus lapis aliter dictus, (quod nomen tamē etiam Coticulæ aliqui tribuunt,) Siderites (Plinio etiam teste) meritò vocatur. nam ferrum facie ac pondere naturaq; repræsentat, & eiusdem scobem particulâsque minores, vt acus, annulos, summa cum admiratione ad se trahit.

Orites globosa, (aliâs glebosa, meliùs) specie, à quibusdam & Siderites vocatur, ignem non sentiens. Plinius lib. 37. cap. 10. Eiusdem verò libri cap. 4. Adamantis (inquit) duritia inenarrabilis est, simulq; ignium victrix natura, & nunq̄ incallescens. Huius species Cypria vocata, vergit in æreū colorē: post hūc est Siderites, ferrei splēdoris, pondere ante cæteros, sed natura dissimilis. nam & ictibus frangitur, & alio Adamãte p̄forari potest, quod & Cyprio euenit: breuiterq; vt degeneres, nominis tantum autoritatē habent. Sic ille. vnde Oriten, & Sideri-

M m